



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

X. Die Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

Humilis.

acerrimè, præclarâ commendatione, ac fructu. Illud autem insignis eius modestiæ specimen est quod cum Româ de gradu illius litteræ perlata fuissent, è nominum similitudine natus error fecerit, ut Coadiutorum spiritualium vota sibi desera esse intelligeret. Qua in re tametsi sui satis conscius, cum errorem posset facilè suspi-

cari, dissimulanter, modestè tacuit, & oblatam sibi Coadiutorum spiritualium formulam palam recitavit. Errore demum agnito ij, quorū intererat & virtutem illius, ac silentium suspexere; ac illum adscripsere quatuor vota professis, concepto ab eo illis proprio Sacramento.

X. DIE MAII.

P. IOANNES
BRENNERUS.P. IOANNES
XVARES.Belga Monachij. 10.
M. ij. 1596.
Soc. 31.

Magni planè zeli vir, & conspectæ pietatis, ac industriæ ad expedienda ea, quæ saluti mortaliū aduersantur. Veila imperiale Sueviæ oppidum est funestum, hæresi miserandum. Ibi trium ferè mensium interiectu hæreticis, catholicisque per multum profuit Ioannis industria, & in dicendo felicitas, atque authoritas. Aiebant Senatum vniuersum cum plebe tora orthodoxæ fidei adiungendum fuisse nisi fœderatarum Urbium hæreticarum Societas venisset. Quod proximum tamen fuit (aiunt de illo annuæ Spirenses) multa eius sententiâ ad catholicam religionem augendam instituta sunt, hæreticorum connubia cum Catholicis abnuuntur, non Senator in Consulem, non in Senatorem cuius hæreticus eligitur; neque in civitatem ullus admittitur, qui non ante Catholicæ Ecclesiæ nomen dederit. Eiusdem etiam suasu ciuitas duos precipuè Germaniæ Principes viros, ac Catholicæ religionis defensores sibi patronos delegit; eorumque patrocinio gloriatur.

Fides.

Commendatur in illo spectata vitæ probitas, & animarum zelus, vtriusque indices, erant illius conciones per annos multos ab illo habitæ foruenti spiritu, ut de illo dicunt literæ, quibus veritatem sincerè, sine fuco, sine pigmentis; graui oratione, magnâ efficacitate suaserat. Ad hæc, aiunt de illo Hispalenses; Christianæ humilitatis opera adamauit, inferaire, vel in exacta ætate coco; vnâ cum tyronibus abiectissima obire munia, eosque rogare, ut modum, quo illa fieri deberent, indicarent, vili, pannosoque vestitu in publicum exire, aliâque id genus plura exercere solebat. Illud singulare euangelicæ submissionis exemplar quoddam impacto sibi ab impudente colapho, quo tempore Collegij Rector erat, alacri, ac sereno vultu percurienti alteram maxillam obtulerit. Hos tam egregios labores, ac virtutes Deus optimus familiaritatis arctissimæ mercede compensarat, eas homini suauitates infundens, quæ illum iustis diei sparijs Deo soli vacare dulciter impellebant; & cum extremi morbi doloribus, qui maiores erant, quam iudicabantur, ut mors opinione citior declarauit, acriter vexaretur, huius

con-

Hispanus
Hispal. 11.
Maij 1601.
ætat 61.
Soc. 41

Humilis.

Hispa
in Co
Mar
10, M
1608
Soc. 4Conf
auticHispa
apuc
ten
Indi
den.
1645

consuetudinis non oblitus, tam assiduas Deo gratias habebat, atque agebat, vt non pari sed gaudere potius videretur.

P. MICHAEL
FERRER.

Hispanus
in Collegio
Marxneasi
10. Maij.
1608 æt. 7.
Soc. 46.

Confess.
amicus.

Inter vetustissimos Bœtiæ Prouinciæ Professos cum esset, non minus prouectâ virtute præluxit socijs, illis maximè quos ad aulas, non propria propensio, sed obedientia destinauit. Ducibus de Arcosillum per totos 30. annos à Confessionibus magnâ cum integritate, sollicitudine, diligentia que fuisse perhibent annuâ, nunquam ad Palatium ire solitum, nisi euocatum; nihil sollicitum de carne, & sanguine, quamuis multis modis promouere suorum consanguineorum rem, dignitatemque potuisset; solitudinis, & silentij rarum amorem in eo fuisse: ac sermonem de diuinis, cubiculi secretum precandi studio intentum, delicijs omnibus anteposuisse, nunquam octo dies exercitiorum quorannis omisisse inter quæcumque negotia, licet id nec dum lege tunc fuerit constitutum; Christo patienti addictum impensè per extremos quadragesimæ dies potissimum; ijs diebus more fontium oculos eius lacrymis dulcissimis assidue fluxisse.

P. BARTHOLOMÆVS
POLUS.

Hispanus
apud Qui-
tentes in
India Occi-
den. 10. Maij.
1649.

Vir eloquentiâ, & admirandis laborum pro Euangelio susceptorum sudoribus planè memorabilis. Tota illi vita ærumnæ, pericula, Euangelium, Baptismus, dolores, quibus ab ineunte iuuentute acriter exercebatur, nec tamen impediri se sinebat

à quæstu dulcissimo animarum. Eo loci vbi sacras expeditiones exercuit sudo cælo, & sole flagrantissimo in locis apertis, & ab omni Montium societate remotis, cadunt è serenissimo aere Serpentes, quartam vlnæ partem longi, & ferè pollicis mole crassi, squammis colore argenteis lucidi, geminis capitibus insignes, nam, & caudæ locum alterum caput occupat teneris dentibus, & ore armatum, non fecus, ac alterum. Videntur tamen in eo talparum quiddam habere, quod oculos nulla hæctenus diligentia in illis repererit. Veneni sunt adeò pertinacis, si quem momorderint, vt cum contra omnia reliqua venena medicina non desit, contra istud, necdum vlla sit inuenta, nisi terra Sancti Pauli; quæ sola illi medetur sed fidei potius viribus quàm naturæ. Pater Bartholomæus Polus in sua per illas oras missione vidit, & à peccatis absoluit Indam sceminam, quam id genus coluber morsu fauciatam veneno suo adeò profigauit, vt horribili, ac miserando spectaculo sanguinem oculis, auribus naribus, & ore toto per ingens, ac lethale profluuium egurgitaret inter dolores vsque ad mortem tantos, vt ad illos explicandos lacrymæ citius, quàm verba suppeterent.

P. IACOBVS
BUTEUX.

Per annos duodeviginti in septentrionalibus illis Americæ missionibus versatus est, etiam valetudine tenui, & afflictâ, sed animo vires corporis supergresso. Eucharis ei lingua, & ad corda Neophytorum tenerius ei penetrans, atque peruadens. Cibus illi ferè inedia; dura, & breuis humi quies potius quàm somnus; cum ei, & alimenti, & requiei instar esset oratio,

Kk sui que

Zelus.

Gallus in
noua Fran-
cia. 10. Maij.
1692.
æt. 52.
Soc. 32.

Mortif.

Amor Dei.

suique afflictiendi assiduitas. Optare se aiebat in sœuitiem Hiroquæorum incidere, actum enim amoris Dei, longè puriorem esse in medijs flammis. Vnde plus, quàm millies, quantum prudenter poterat, se in eas occasiones dedit vbi maximum erat discrimen, ne ab Hiroquæis caperentur, nullo vnquam timoris dato indicio; multò minus, vt pedem aliquando ea de causa retulerit. Artikamegorum natio, (quos vulgò pisces albos vocant) illi præ alijs dilecta: quippe Christo ab illo genita, educata, & perfcitè instructa. Eximia quædam in illo populo innocentia ac pietatis teneritas emicabat; aded, vt exulare ab eorum terris peccatum videretur; illis Angelicâ quadam integritate contra omnem, etiam minimam conscientia labem attentis, atque Christi amore mirificè inflammatis. Reliqua de illo ex annuis Franciæ anni 1652. peti possunt.

Fides.

P. STEPHANVS
FABER.

Gallus in
Sinis. 10.
Maij 1657.
ætat. 61.

Cum P. Sebastiano Viera Iaponiæ Procuratore in Orientem profectus, per iter tanta præstantissimæ virtutis edidit documenta, vt alter Xaverius diceretur. Cum in Iaponiam penetrare non posset, in Sinis Apostolicos suos labores magno gentis illius emolumento, magno rei Christianæ incremento ita animabus impendit, vt corpori suo nil parceret, ac voluntates omnium lucraretur, amareturque vt Pater. Vnde cum aliquando illum audire ac videre percuperent, neque omnes id possent, arbores conscendebant; vt vel sic suo desiderio potirentur. Semper illi ad manum erat quocumque iret, vasculum cum aqua lustrali, quâ ægros paruulos, vel adul-

ros etiam ærumnis confectos & morti proximos, ac instructos, expiabat. Missionum difficillimas efflagitatione sanctâ sibi depolcebat: nil negabat vlli quantumuis æger; charitate dolores corporis superante vt alijs prodesset. Fame urgente, sua vendebat, vt aliene inopiæ subueniret. Flumina ita vt erat vestitus, non eques aut vectus asino, sed pedes, superabat, & vestibus nunquam positis, vt siccaerentur iter reliquum ita madidus exantlabat.

Castitatis votum aliquot annis ante Societatem initam nuncupatum, insigni magnæ modestiæ, paupertatis, & voluntariæ sui afflictationis exercitatione seruabat fidelis Deo. Si cum fœminis loqueretur, nunquam visus est oculos attollere. Si quid oculis aut menti turpe occurreret, imaginem Dei paræ quam secum gestabat, amplexu tenero ac fiducia complexus, opẽ illius exposcebat, & impetrabat. Quotidie se flagro cædebat, & carnem forcipibus lacerabat. Quo sœuitiæ instrumento cum Sociorum quispiam ad id eum vti aduertisset, ac ei religionem iniiceret, respondit Stephanus, suum cuius iumentum aded notum esse, vt modum illud tractandi haud solear ignorare.

Maiorem noctis partem ducebat orando; idque vt posset, contra somnum variè dimicabat: tum demum ita, vt erat vestitus se super asserem componebat. Consanguineus quidam Regis, homo aliàs obstinatus, rogatus est vt P. Stephani mores obseruaret, ac inde metiretur nostræ fidei sanctitatem. Obseruauit ille nocte quadam P. Stephanum sub dio cum ningeret humi flexis genibus gratias Deo prolixè agentem pro beneficijs quibus etiam ingratos & à fide alienos profequitur. Tanta erat orantis compositio, tantus dicentis ardor, vt diluculo Princeps ille haftenus durus vltiò ad templum nostrum

*Castitas.**B.V.**Mortific.**Oratio.*

nostrum aduolâre, & baptismi Sacramentum petierit

Humilitat.

Tantâ cum omnibus reuerentiâ significatione agebat, vt id alij mirarentur, eumque monerent ne suâ illâ demissione aleret superbiam barbarorum; sed ille aiebat virtutum fructus tum demum vberiores fore, si humilitatis nostræ radices profundius iacerentur.

Angeli.

Duo viri conspecto P. Stephano sese humi abiecerunt profundæ reuerentiæ causâ: & rogati cur id facerent, respondere visos sibi duos elegantis formæ adolescentes à quibus P. Stephanus tenebatur in alto à terra sublimis.

In Hanchun Sinarum, locustarum examen ingens quod agris exitium afferebat, aquâ lustrali agris aspersâ fugauit.

Aqua bened.

Aiunt etiam senis cuiusdam in morte à P. Stephano baptizati animam conspectam ferri ab Angelis in cælum. Id quod Bonzius quidam à se visum ad concionem dixit.

Ingenio, ac variâ literatura in diuinis atque humanis disciplinis fuit magnus, & par cathedræ cuiusque: at virtute longè maximus, & inter maiora Indici Apostolatus exempla ponendus.

XI. DIE MAII.

P. MICHAEL RUGGERIVS.

IN Orientem cum P. Rodulpho Aquaniua profectus, Macaum accitus est, vt in Sinas eâ quâ pollebat solertiâ penetraret; id quod feliciter perfecit, Sociorum primus edque dignus memoriâ posterorum. De illo sic in scriptoribus Societatis. Bis quotannis ad nundinas cum Lusitanis negotiatoribus subnauigabat in Catoniensis Prouinciæ Metropolim, explorabatque sedulus, num ab aliquo fortasse Magistratum sedem in Regni parte quapiam posset eblandiri. Cæpit initio cum nō nullis illorum agere, & quandam aperuit illi necessitudinem solertia, & in agendo comitas quâ præstabat: cui cum accideret opinio virtutis, & doctrinæ, studiumque Sinesium litterarum, quod euoluendis ipsorum libris præfererebat; tantam illi quorundam gratiam conciliauit, vt attributis in adibus, quibus legatos

Siamenses consueuerunt accipere, rei faciendæ diuinæ obtinuerit commoditatem. Sæpè tamen eundo redeundoque & delinitis per Europæa munuscula Magistratibus, aream Ædi sacræ, ac prophanæ excitandæ in vrbe Sciauquino primus sociorum obrinuit anno M. D. LXXXIII. quam anno mox vertente extructam instruxit opportunâ supellectile, quæ cum nouitatis Europææ quidpiam haberet, multos ad spectandum ciebat, quibus per eam occasionem semper aliquid de diuinis rebus Ruggerius ingerebat. Dum autem aliam alibi, atque aliam sedenti figendi aucupatur modum, multa contactus est subire incommoda. Verbis etiam nonnullibi malè acceptus, vinculorum minas intentatas euasit. A Neophyto impostore coram Magistratibus adulterij postulatus est, eo ipso nimirum tempore, vt aiebant, admissi, quo scilicet eum longo abfuisse itinere constabat; ideo reiectâ calumniâ, pronunciatu est Ruggerius innocens; at impostor verberibus,

Kk 2 beribus,